

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois.

Appendix, Lavardin Nr. 14

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, Salomonem de Lavarzino remisisse nobis, pro anima sua, consuetudines omnes quas habebat in domibus Herberti presbiteri et Seherii nepotis eius, quas idem Seherius, huic loco monachus deveniens, dedit; quae, ne aliquando ab ipso vel successoribus eius possint refelli, breviter eas ibi annotavimus, ut sciatis quid ipse remiserit. Habebat itaque ante hoc, consuetudines in his, sicut in caeteris domibus, ut de singulis singulos vindemiatos ad vindemias suas faciendas tolleret, et totidem foenatores tempore sectionis eiusdem etiam numeri, viros in equitatum sumens, corvatam quocunque si vellet de asinis. De unoquoque modio vini vendito denarium habebat et ad credentiam quantum vellet accipiebat, extorquens etiam de unaquaque domo annuatim sex denarios de excubia quam vulgus gaitagium appellat; siqua autem forisfacta rapti vel furti seu sanguinis, vel alia huius modi in eis vel ab eis fierent, iusticiabat ipse et habebat distractionem. Has igitur consuetudines omnes, cum prius Herberto, in vita ipsius ac nepoti eius Seherio, preter VII denariorum censum quem sibi retinuit, ex toto dimisisset posteaquam idem Seherius apud nos monachus devenit, denuo omnes, pro anima sua sicut dictum est, dimisit, caligis tantum vermiculis et pellibus catinis a nobis propter hoc acceptis, quas ei domnus Ernaldus frater noster, priori vice nostri dedit. Quas licet non ita ut sunt descriptae nominatim expresserit, in hoc tamen comprehenditur quod consuetudines omnes predictarum domorum perpetuo et ad integrum perdonavit, et testes qui interfuerunt isti: Hildebertus vicarius – Fulbertus de Rupe – Ingelerius canonicus – Hubertus homo Herberti presbyteri – Fredericus portarius – Gausfredus famulus monachorum.